

## S. ZEPHYRINUS

## PONTIFEX ROMANUS

## NOTITIA EX LIBRO PONTIFICALI DAMASI PAPÆ.

(Mansi, *Concil.*, I, 727. — Varias lectiones ad hunc locum libri pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* tom CXXVII, col. 1505.)

Zephyrinus (1) natione Romanus, ex patre Abundio, sedit annos octo, menses septem, dies decem (2). Fuit autem temporibus Antonini et Severi, a consulatu Saturnini et Gallicani, usque ad Præsentem et Strigatum consules. Hic constituit, ut præsentibus clericis et laicis fidelibus, sive clericus, sive Levita, sive sacerdos ordinetur. Et fecit constitutum de ecclesia, ut patenas vitreas (3) ministri ante sacerdotes portarent, dum episcopus missam celebraret, et ut sacerdotes omnes astarent, dum sic missæ celebrarentur. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros xiii, diaconos vii, episcopos per loca xiii. Qui sepultus est in cœmeterio suo, non longe a cœmeterio Callisti, via Appia, septimo Kalendas Septembris. Et cessavit episcopatus dies sex.

(1) *Zephyrinus*. Anno Severi imperatoris nono, qui fuit Christi redemptoris nostri 205, octavo die Augusti, postquam sedes pontificia undecim diebus vacasset, Victori Zephyrinus pontifex, natione Romanus, succedit. Euseb. lib. v *Hist. eccles.*, cap. 27. Sub hoc quinta Christianorum generalis persecutio edicto imperatoris decreta est: cujus sævitiam catholici quidam subterfugientes, a Montano ejusque sectatore Tertulliano immerito redarguuntur. Per hunc pontificem Cataphrygæ, disputatione publica, cui Caius vir apprime disertus ac pius præerat, convicti, una cum Marcione, Praxea, Sabellio, Valentino, et cæteris anathemate damnati sunt. Hieronym. *De scriptor. eccles. in Caio*; Euseb. lib. vi *Hist.*, cap. 14; Optat. Milevit. Natalius confessor in Theodoti Coriarii hæresim largitione pecuniæ inductus, postquam ad resipiscendum frequenter admonitus, et ab angelis graviter cæsus fuisset, tandem cilicio indutus, cineribus conspersus, magno cum mœrore ac lacrymis ad pedes Zephyrini pontificis et ad genua clericorum ac laicorum devolutus, supplex in ecclesiam et ad pœnitentiam recipi petens, ab hoc eodem pontifice benigne acceptatur. Euseb. lib. v *Hist.*, cap. 27. Hujus tempore, Agrippino Carthaginiensi episcopo auctore, hæreticorum rebaptizantium secta exorta, et concilio Africano reprobato, de quo infra, comprobata est, ut constat ex Cypr. epist. 71. Edictum, quod adversus Montani hæresim aliorumque pseudoparæletorum lapsis pœnitentiam denegantium, auctoritate pontificia edidit (quo lapsos, etiamsi mœchi ac fornicarii fuissent, ad pœnitentiam invitavit ac recipit), Tertullianus Christianus transfuga lib. i *De pudicit.* recitat et impugnat. Verba edicti, quæ ibidem exstant, hæc sunt: *Pontifex maximus, episcopus episcoporum, dicit: Ego et mœchiæ et fornicationis delicta, pœnitentia junctis dimitto.* Plura vide apud Baron. ab anno Christi 205 usque ad 221. SEV. BIX.

(2) *Sedit annos 8, menses 7, dies 10.* Annis 18 et diebus totidem sedisse auctor est Euseb. in *Chron.*, quam sententiam, tanquam Vaticanis indicibus magis conformem, sequitur Baron. anno 221, num. 4, et recte, quia ab anno Severi imperatoris nono, quo pontificatum ingressus est, usque ad secundum Antonini Elagabali, cujus anno secundo vita et pontificatu defunctum esse Euseb. testatur

A lib. vi *Hist. eccles.*, cap. 15, neque plures neque pauciores computari possunt. Martyrem obiisse Martyrologium refert, fortasse ex ea causa quod Elagabalo omnium etiam Christianorum religionem sub cultu Dei sui referre volenti, contradixerit. Baronius prædicto anno num. 2. Id.

(3) *Ut patenas vitreas.* Sicut his temporibus vitreas patenas in usu fuisse hinc constat, ita etiam calicem vitreum, ligneum, atque etiam argenteum, hoc tempore usitatum fuisse, aliunde probatur. De calice vitreo scribit S. Greg. papa lib. i *Dial.*, c. 7, sanctum Donatum Aretinæ Ecclesiæ in Galliis episcopum ac martyrem, vitreum calicem a paganis fractum orando instaurasse. Hieron. epist. 4 ad Rusticum: *Nihil, inquit, illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro* De eodem Cyprian. Gallus in *Vita Cæsarii episcopi Arelatensis*: *Annon, inquit, in vitro habetur sanguis Christi?* Epiphanius in *Panar.*, hæresi 54, refert Marcum hæresiarcham, apostolorum temporibus proximum, calice vitreo, quo in suis sacris peragendis utebatur, populum dementasse sic, ut colorem vini albi, qui foris apparebat in vitro, populus arte magica et præstigiis illusum rubrum judicaret, atque ita vinum in sanguinem conversum esse crederet. Hisce etiam temporibus ante Christianos imperatores fuisse in Ecclesia sacra vasa argentea, constat ex *Vita S. Urbani* apud librum Pontificalem infra: et ex epistola 165 Sancti Augustini, ubi ex actis proconsularibus refert, Christianos temporibus Diocletiani habuisse calices aureos duos, argenteos sex, etc. Gregorius Turonensis *De gloria mart.*, cap. 58, scribit sub eodem Diocletiano vasa sacra ministerialia argentea e cryptis, in quibus sancti martyres sacra peragentes delitescebant, effossa esse. Ligneum calicem usurpatum esse expresse dicitur can. *Vasa, de consecrat. dist. 1*, idemque aperte colligitur ex concilio Triburiensi, cap. 18, ubi prohibentur sacerdotes, *ne in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumant.* Quia tamen propter fragilitatem vitri, usus vitrei calicis periculosus est, tandem circa tempora Caroli Magni, in concilio Remensi statutum est, *ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, additur, saltem vel stanneum calicem habeat.* Vide Baron. in notis ad Martyrolog. Rom. die 7 August. Id.

## NOTITIA ALTERA.

(D. CONSTANT, *Epistolæ Rom. Pont.*, tom. I et unic., p. 107.)

Licet hujus pontificis nomen in Bucheriano catalogo desideretur, in eo tamen tempus, quo illum Ecclesiæ præfuisse arbitratus est catalogi hujus scriptor, sub Victoris nomine indicatur, scilicet a consulatu Saturnini et Galli usque Præsente et Extricato, hoc est ab anno Christi 198 ad 217. Eadem consulari nota mendose expressa initium ac finem pontificatus Zephyrini liber Pontificalis designat. In antiquo Corbeiensis codicis catalogo annos XVIII, menses VII, dies X, sedisse adnotatur. Eusebius vero lib. V *Hist.*, c. 28, eum Severi imperatoris anno circiter nono, hoc est Christi circiter 202 ordinatum scribit: tum lib. VI, c. 21, eundem, cum per annos octodecim sacerdotium obtinuisset, primo Antonini Heliogabali imp. anno vita functum tradit. Unde sequitur, ut mors ejus anno Christi 219 aut 220, quo B

A anno re ipsa idem Eusebius in *Chronico* Callistum ei successisse notat, illiganda sit. Sed in hoc ipso *Chronico* primus Heliogabali imp. annus ad annum Christi 218 refertur. Et eum quidem 7 die Junii prædicti anni 218 imperatorem renuntiatum fuisse aliunde notum est. Denique Zephyrini mors in Hieronymi aliisque antiquioribus Martyrologiis Decembris 20 die, in cæteris 26 Augusti, quo nunc celebratur ipsius festività, recolitur. Si igitur ipsum cum Eusebio Antonini Heliogabali imp. primo anno, et cum vetustioribus Martyrologiis 20 Decembris die obiisse ponamus, sub exitum anni 218 mors ejus consignanda erit.

Ad ejus epistolas quod attinet, nihil in eis est cur a reliquis Isidori mercibus separentur.

## S. ZEPHYRINI PAPÆ EPISTOLÆ.

### 1 EPISTOLA PRIMA.

AD EPISCOPOS OMNES SICILIENSES.

*De judiciis episcoporum, et majoribus Ecclesiæ causis in sede apostolica terminandis.*

Romanæ urbis archiepiscopus ZEPHYRINUS, omnibus per Siciliam constitutis episcopis in Domino salutem.

Divinæ circa nos gratiæ memores esse debemus<sup>1</sup>, quæ nos per dignationis suæ misericordiam, ob hoc ad fastigium sacerdotale (4) provexit, ut mandatis ipsius inhærentes, et in quadam sacerdotum ejus speculatione constituti, prohibeamus illicita et sequenda doceamus. Sicut stellas cœli non exstinguit nox<sup>2</sup>, sic mentes fidelium, firmamento inhærentes<sup>3</sup> sanctæ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas<sup>4</sup>. Idcirco meditari vos oportet, et Scripturas et præcepta divina quæ in Scripturis continentur diligenter attendere, ne transgressores legis Dei, sed

C impletores appareatis.

Patriarchæ vero vel primates, accusatum discedentes episcopum<sup>5</sup>, non ante sententiam proferat definitivam, quam apostolica auctore auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes<sup>6</sup>; qui minori non sint numero, quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum apostolorum eligi præcepit, id est, septuaginta duo. Detractores quoque<sup>7,8</sup>, qui divina auctoritate eradicandi sunt, et auctores inimicorum, ab episcopali submovemus accusatione vel testimonio: nec sumorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat<sup>9</sup>. Neque in re dubia<sup>10</sup>, certa judicetur sententia; nec ullum judicium, nisi ordinabiliter habitum teneatur. Absens vero<sup>11</sup> nemo judicetur, quia et divinæ et humanæ hoc prohibent leges. Accusatores autem eorum, omni careant suspitione<sup>12</sup>, quia columnas suas Dominus

<sup>1</sup> Hæc cum seq. Ant. Aug. aliisque viris eruditis supposititia habetur. <sup>2</sup> Hilari papæ sancti Leonis successoris ep. 5. <sup>3</sup> Distinct. 38: Sicut stellas cœli. <sup>4</sup> Adhærentes. <sup>5</sup> Prospero sentent. 120, ex S. Aug. in Ps. xciii. <sup>6</sup> 2. q. 1: Primat. accusat.; et in Felicis I; et in decr. Ivon., lib. iv. <sup>7</sup> Anianus in const. 1, tit. 40, lib. ix Cod. Theod. <sup>8,9</sup> Adrian., coll. 68; 5. q. 4: Detractores quoque. <sup>10</sup> Desperet. <sup>11</sup> Greg. ep. 30, lib. viii, et 52, xi. <sup>12</sup> 5. q. 9: Absens vero. <sup>13</sup> Adrian. coll. 15.

(4) Ad fastigium sacerdotale. Pontificatum summum intelligit, cui simul oves et agni (id est, episcopi, ut Paves exponunt), cum reliquis clericis et tota plebe commissi sunt, Joan. cap. xxi. Ideoque

hic recte pontificatum suum sacerdotale fastigium nominat, cujus sacerdotam, dignitate et officio simul, supra omnia sacerdotum et episcoporum longe emineat. Sev. Ben.

firmiter stare voluit, non a quibuslibet agitari. Nullem namque eorum sententia, non suo iudice dicta <sup>15</sup>, constringat, quia et leges sæculi idipsum fieri præcipiunt. Duodecim enim iudices <sup>15</sup>, quilibet episcopus accusatus <sup>16</sup>, si necesse fuerit, eligat, a quibus ejus causa juste iudicetur. Nec prius audiatur, aut excommunicetur, vel iudicetur, quam ipsi per se eligantur, et regulariter vocato, ad suorum primo conventum episcoporum, per eos ejus causa juste audiatur, et rationabiliter discernatur. Finis vero ejus causæ ad sedem apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur. Nec antea finiatur, sicut ab apostolis vel successoribus eorum olim statutum est, quam ejus auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus <sup>17</sup>, maxime tamen ab oppressis, appellandum est, et concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, et a suis oppressionibus releventur, quia *non potest nec debet mater oblivisci filium suum* <sup>18</sup>. Iudicia enim episcoporum, majoresque Ecclesiæ causæ, a sede apostolica, et non ab alia, sicut apostoli et sancti successores eorum statuerunt, cum aliis episcopis <sup>19</sup> sunt terminandæ: quia licet in alios transferantur episcopos, beato tamen apostolo Petro dictum est: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cælis* <sup>20</sup>. Et reliqua privilegia, quæ soli huic sanctæ sedi concessa sunt, et in constitutis apostolorum (5), eorumque successorum, aliisque quamplurimis cum eis concinentibus, habentur inserta. Septuaginta <sup>21</sup> enim apostoli sententias præfixerunt (6), cum aliis quamplurimis episcopis, et servandas censuerunt. De occultis enim alieni cordis temere iudicare <sup>22</sup>, peccatum est; et eum cujus non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspitione reprehendere, cum eorum, quæ hominibus sunt incognita, solus Deus iudex sit. Ipse vero novit abscondita cordis <sup>23</sup>, et non alius. Injusta enim iudicia ab omnibus cavenda sunt; maxime tamen a servis Dei. *Servum autem Dei non oportet litigare* <sup>24</sup>, nec quemquam damnare. Episcopi namque a plebibus et clero, et domini a servis ferendi sunt <sup>25</sup>, ut sub exercitatione tolerantia, sustineantur temporalia, sperentur æterna. Auget enim me-

A rita virtutis, quod propositum non violat religionis. Satagendum est vobis, ne aliquis fratrum vestrorum graviter laceretur vel pereat. Succurrere ergo vos oportet oppressis, et liberare eos de manu persequentium, ut cum beato Job dicatis: *Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, et vestivi me vestimento et diademate, iudicio meo. Oculus sui cæco, et pes claudo, Pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferabam prædam* <sup>26</sup>: et reliqua. Vos ergo, qui in specula a Domino estis positi, comprimere et repellere eos summopere debetis, qui fratribus insidias præparant, aut in eos seditiones et scandala excitant <sup>27</sup>. Facile est enim verbo fallere hominem, non tamen Deum <sup>28</sup>. Ideo hos repellere, et ab his vos cavere oportet, quatenus extincta funditus hujusmodi caligine, Lucifer eis resplendeat <sup>29</sup>, et lætitia oriatur, sanctissimi fratres. Data duodecimo Kalend. Octobris, Saturnino et Gallicano <sup>30</sup> viris clarissimis consulibus <sup>31</sup>.

## EPISTOLA II.

AD ÆGYPTI PROVINCIÆ EPISCOPOS.

Charissimis fratribus per Ægyptum Domino militantibus ZEPHYRINUS Romanæ urbis archiepiscopus.

Tantam a Domino, hujus sanctæ sedis et apostolicæ Ecclesiæ fundatore, et beato Petro principe apostolorum, accepimus fiduciam <sup>32</sup>, ut pro universali Christi sanguine redempta Ecclesia, impigro laboremus affectu <sup>33</sup>, et omnibus Domino famulantibus succurramus, et cunctis pie viventibus apostolica auctoritate opem feramus. Omnes qui in Christo volunt pie vivere <sup>34</sup>, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tanquam stulti et insani, ut meliores et purgatiores efficiantur qui bona temporalia perdunt, ut percipiant æterna. Eorum vero despectio et irrisio in ipsos retorquetur qui eos affligunt et contumeliis afficiunt, cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem.

<sup>15</sup> Cod. const. unica, l. iv, tit. 16. <sup>16</sup> 5. quæst. 4: Duodecim iudices. <sup>17</sup> 2. q. 6: Ad Romanam Ecclesiam. <sup>18</sup> Isai. xlix, 15. <sup>19</sup> Vox, episcopis, abest a ms. <sup>20</sup> Matth. xvi, 19. <sup>21</sup> Al. sexaginta, ut in ms. Just.; al. quinquaginta, dist. 16: Sexaginta sententias. <sup>22</sup> Prosperi sent. 21, ex S. Aug. in Ps. cxviii. <sup>23</sup> Ps. xliii, 22. <sup>24</sup> II Tim. ii, 24. <sup>25</sup> Prosperi sent. 34, ex S. Aug. in Ps. cxxiv. <sup>26</sup> Job xxix, 15 seqq. ex vers. vulgata. <sup>27</sup> Nutriunt. <sup>28</sup> Sixti sent. 176. <sup>29</sup> Steph. Dorensis consult. 2, syn. Later. sub Martino I. <sup>30</sup> Gallo. <sup>31</sup> Saturninus hic et Gallus coss. fuerunt an. 198, vivente adhuc Victore. <sup>32</sup> S. Leo, ep. 24. <sup>33</sup> Effectu. <sup>34</sup> S. Prosperi sent. 52, ex S. Aug. in Ps. cxxii.

(5) Et in constitutis apostolorum. 73 Canonem apostolorum intelligit, quo constitutum est, ut episcopales causæ non nisi ab episcopis superioribus, conciliis, aut Romano pontifice dijudicentur. Vide quæ diximus ibi in notis ad prædictum canonem 75. SEV. IIN.

(6) Septuaginta enim apostoli sententias præfixerunt. Alia quedam lectio habet, sexaginta, alia quinquaginta; quovis modo legalis, verum est,

quod per has sententias, canones apostolorum intelligat; quorum numerus, licet quinquagenarius tantum fuerit, ut supra in notis nostris ibidem ostendimus, tamen, quia uno canone quandoque plures sententiæ comprehenduntur, 60 aut 70 sententiarum apostolicarum numerus, quinquagenario apostolorum canonum numero, nihil obstat aut præjudicat. Id.

## I.

*De episcopis rebus spoliatis, vel a sede pulsis.*

Nuntiatum est enim sedi apostolicæ per apocri-  
sarios vestros <sup>38</sup> (7), quosdam fratrum nostrorum,  
episcoporum videlicet, ab Ecclesiis et sedibus pro-  
priis pelli, suaque eis auferri suppellectilia, et sic  
nudos et expoliatos ad judicia vocari; quod omni-  
ratione caret, cum constituta apostolorum, eorum-  
que successorum, et præcepta imperatorum <sup>36</sup> ac  
constitutiones legum, id ipsum prohibeant, et apo-  
stolicæ sedis auctoritas id ipsum fieri vetet. Præcep-  
tum est <sup>37</sup> ergo in antiquis statutis, episcopos eje-  
ctos <sup>38</sup>, atque suis rebus expoliatos, Ecclesias pro-  
prias recipere, et primo sua omnia eis reddi: et  
tum demum, si quis eos juste accusare voluerit,  
æquo periculo facere, iudices esse decernentes, epi-  
scopos recta sapientes, et in ecclesia convenientes,  
ubi testes essent singulorum, qui oppressi videban-  
tur: nec prius eos respondere debere <sup>39</sup>, quam  
omnia sua eis et ecclesiis eorum legibus integer-  
rine restituantur. Nec mirum, fratres, si vos per-  
sequuntur, cum caput vestrum Christum Domi-  
num nostrum usque ad mortem sint persecuti.  
Ipsæ tamen persecutiones patienter portandæ sunt,  
ut ejus discipuli esse cognoscamini, pro quo et pa-  
timini. Unde et ipse ait: *Beati qui persecutionem  
patiuntur propter justitiam* <sup>40</sup>. His fulti suffragiis,  
non multum debemus timere opprobrium homi-  
num <sup>41</sup>, neque eorum exprobrationibus vinci, quo-  
niam hoc nobis Dominus jubet per Isaiam prophe-  
tam, dicens: *Audite me qui scitis iudicium, popu-  
lus meus, in quorum cordibus lex mea est. Nolite  
timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum  
ne timeatis* <sup>42</sup>, considerantes quod in Psalmo  
scriptum est: *Nonne Deus requirat ista? Ipse  
enim novit abscondita cordis* <sup>43</sup>, et cogitationes ta-  
lium hominum, quoniam vanæ sunt <sup>44</sup>. Vana autem  
locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia  
dolosa in corde, et corde locuti sunt mala. Sed dis-  
perdet Dominus universa labia dolosa, et linguam  
magniloquam. Qui dixerunt: *labia nostra a nobis sunt;  
quis noster Dominus est* <sup>45</sup>? Nam si hæc in memo-  
ria retinerent, minime ad tantam prosilirent ini-  
quitate. Non enim probabili et paterna doctrina  
hoc faciunt <sup>46</sup>, sed ut suam exerceant in servos Dei  
vindictam. Scriptum namque est: *Via stulti recta  
in oculis ejus. Et: Sunt viæ, quæ videntur homini  
justæ, novissima autem earum deducunt ad mor-*

*A tem* <sup>47</sup>. Nos enim qui hæc patimur, iudicio Dei hæc  
reservare debemus, qui reddet unicuique secundum  
opera ejus <sup>48</sup>. Qui etiam per ministros suos into-  
nuit, dicens: *Mihi vindicta, ego retribuam* <sup>49</sup>. Vos  
enim in recta fide, et opere, ac bona voluntate  
succurrite vicissim, nec aliquis a supplemento fra-  
tris subtrahat manum, quoniam *in hoc*, ait Domi-  
nus, *cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si di-  
lectionem habueritis adinvicem* <sup>50</sup>. Unde et ipse per  
Prophetam loquitur, dicens: *Ecce quam bonum et  
quam jucundum, habitare fratres in unum* <sup>51</sup>. Spiritu-  
ali dico habitaculo et concordia <sup>52</sup>, quæ in Deo est,  
et unitate fidei, hujus delectabilis secundum veri-  
tatem habitaculi, quæ videlicet in Aaron magis de-  
corabatur, atque sacerdotibus <sup>53</sup> induentibus digni-  
tatem, sicut unguentum super caput, principalem  
intellectum irrigans, et usque ad ipsam extremam  
scientiam deducens. In hoc enim habitaculo bene-  
dictionem et æternam vitam promisit Dominus.  
Hujus igitur propheticæ vaticinationis meritum  
amplectentes, præsentem fraternam syllabam expo-  
suimus, nostra propter charitatem minime quæren-  
tes, aut quæsituri. Non enim detrahentibus bonum  
est detrahere, aut palo (secundum vulgarem fabu-  
lam) excutere palum. Absit! Non sunt ista nostra.  
Hæc enim avertat Divinitas. Justo iudicio Dei datur  
plerumque peccatoribus potestas <sup>54</sup>, qua sanctos  
ipsius persequantur, ut qui Spiritu Dei juvantur  
et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.  
Ipsis tamen, qui eos persequuntur, et exprobrant,  
atque detrahunt, erit procul dubio væ. Væ, væ illis  
qui detrahunt servis Dei, quia detractio eorum ad  
eum pertinet <sup>55</sup>, cujus ministerium agunt et vice  
funguntur. Oramus autem, ostium circumstantiæ,  
qui neminem perire aut labiis suis pollui volumus,  
eorum oribus imponi, et verbum minime nocivum  
concipere, aut ore proferre. Unde et Dominus  
per Prophetam loquitur, dicens: *Dixi, custodiam  
vias meas, ut non delinquam in lingua mea* <sup>56</sup>.  
Dominus omnipotens, et ejus unigenitus Filius, et  
Salvator noster Jesus Christus, hoc vobis tribuat  
incitamentum, ut omnibus fratribus, quibuscunque  
tribulationum molestiis laborantibus, viribus quibus  
potestis succurratis, et eorum (ut dignum est)  
injurias vestras æstimetis; maximum adminiculum  
eis verbis et factis præbeatis, ut ejus discipuli in-  
veniamini veri, qui fratres, ut se, omnibus diligere  
præcepit.

<sup>36</sup> In decr. Ivonis, l. iv. <sup>37</sup> Ethnicorum utique et Ecclesiæ persecutorum. <sup>38</sup> 2, quæst. 2: Præceptum est. <sup>39</sup> Adr. coll. 13, ex Trip. vii, c. 12. <sup>40</sup> Adr. coll. 5, ex syn. iii, Rom., sub Symmacho. <sup>41</sup> Matth. v, 10. <sup>42</sup> Martinus consult. 3, conc. Lateranensis. <sup>43</sup> Isai. li, 7. <sup>44</sup> Psal. xliii, 22. <sup>45</sup> Psal. xciii, 11. <sup>46</sup> Psal. ii, 3, 4, 5. <sup>47</sup> Idem Martinus. <sup>48</sup> Prov. xii, 15, 28. <sup>49</sup> Matth. xvi, 27. <sup>50</sup> Rom. xii, 19. <sup>51</sup> Joan. xiii, 35. <sup>52</sup> Psal. cxxxii, 1. <sup>53</sup> Pauli ep. CP. epist. consult. 4, conc. Later. sub Martino I. <sup>54</sup> Sacerdotalem; ita et ms. <sup>55</sup> S. Prosperi sent. 23, ex S. Aug. in Ps. cxviii. <sup>56</sup> Greg. ep. 52, lib. xii. <sup>57</sup> Psal. xxxviii, 1.

(7) *Apocriarios vestros.* Apocrisarii dicuntur legati episcoporum, et velut eorum locum tenentes, qui res Ecclesiæ gubernant, negotia singulorum audiunt, et ad episcopos referunt. Dicuntur igitur apocrisarii, id est, responsales, ab ἀποκρίνομαι,

id est, respondeo. Horum fit mentio in capite Significasti, de elect., et apud Justinianum Novell. Quomodo oporteat episcopos, cap. 12, et de sanctissimis episcopis § Reverendiss. Albericus per apocrisarios nuntios papæ intelligit. Sev. Bix.

## II.

*De ordinatione presbyterorum atque diaconorum.*

Ordinationes vero presbyterorum <sup>57</sup> et Levitarum, tempore congruo et multis coram astantibus, solemniter agite, et probabiles et doctos viros ad hoc opus provehite <sup>58</sup>, ut de eorum societate et adju-

mento plurimum gaudeatis. Ponite indesinenter corda vestra in virtute Dei <sup>59</sup>, et enarrate hæc et cætera divina verba in progenies alteras, quoniam *hic est Deus noster in æternum, et ipse reget nos in sæcula* <sup>60</sup>. Data 7 Idus Novembris, Saturnino et Gallicano <sup>61</sup> viris clarissimis consulibus.

<sup>57</sup> Distinct. 75. Ordinationes presbyterorum. <sup>58</sup> Constituite. <sup>59</sup> Gelasius, ep. 9. <sup>60</sup> Psalm. XLVII, 15. <sup>61</sup> Gallo.

ANNO DOMINI CGXIV.

# CAIUS

## PRESBYTER ROMANUS

—

### NOTITIA.

(GALLAND, *Biblioth. Patrum*, tom. II, Proleg., p. XXVIII.)

I. Caius, sancti Irenæi contubernalis, an domo Corinthius? Ecclesiæ Romanæ presbyter et episcopus gentium, De Cæii presbyteratu et episcopatu Dodwellus et Fabricius minus belle opinati esse videntur. Rectius Bacchinius.

II. Quo tempore claruit auctor, vir disertissimus. Disputationem scripsit adversus Proculum Cataphrygarum sectatorem. Ex veterum et recentiorum sententiâ opus eidem asseritur, Parvus Labyrinthus inscriptum.

III. Scripsisse quoque Caius De Canone sacrarum Scripturarum existimatur: in ea fortasse disputatione quam habuit adversus Proculum Montanistam. Hujusce argumenti fragmentum acephalum, haud ita pridem vulgatum, adducitur; ipsique variis conjecturis tribuitur ab editore Muratorio V. C., cujus monitum exhibetur.

IV. Observationes nonnullæ tum in allatum fragmentum, tum in monitum Muratorianum subjiciuntur.

I. Caius, vel Gaius, una cum sancto Irenæo conversatus fuisse, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ, ex subscriptione Actorum martyrii S. Polycarpi existimatur <sup>62</sup>. Ex qua quidem subscriptione fuisse ipsum domo Corinthium, et cum Irenæo Romam profectum conjicit Moynius <sup>63</sup>: sed præter rem, ut censent eruditi *Historiæ litterariæ Gallicæ* auctores <sup>64</sup>. Illud certius ex Photio <sup>65</sup>, fuisse Caium Romanæ Ecclesiæ presbyterum, ordinatumque et gentium episcopum. Τοῦτον τὸν Γάϊον πρεσβύτερόν φασι γεγενῆσθαι τῆς κατὰ Ῥώμην Ἐκκλησίας • χειροτονηθῆναι δὲ αὐτὸν τῶν ἔθνῶν ἐπίσκοπον. Mirum sane Dodwellum conjectasse <sup>66</sup>, Caium Romanæ Ecclesiæ presbyterum, propter ipsas traditiones quas conservavit, appellatum: cum præter Photii testimonium, Eusebius quoque *virum ecclesiasticum*, ἐκκλησιαστικὸν ἄνδρα, illum nominet <sup>67</sup>. Neque minus mirari subit visum fuisse Fabricio <sup>68</sup>, apud Photium pro ἔθνῶν ἐπίσκοπον legendum esse Ἀθη-

νῶν: adeo ut, hac lectione fidenter admissa, fuisse Caium Atheniensem episcopum securus pronuntiet. Quis porro nesciat ab initio rei Christianæ in more positum institutoque majorum fuisse, ut episcopi crearentur qui nulli certæ Ecclesiæ præsiderent? « In Ecclesiis ex gentibus tantum fundandis (verba sunt Bacchini V. C. <sup>69</sup>) Petrum successoresque pontifices priores, id servasse compertum, ut episcopi crearentur, antequam gentiles quibus illi præesse debebant, converterentur. Id ex veteribus et sincerioribus Ecclesiarum monumentis liquido constat. Missi sunt plures episcopali caractere insigniti a Petro et successoribus in Italiæ Hispaniarum, Britanniæ, Africæ, Galliarum regiones, qui Ecclesias sibi constituerent, gentilibus ad veritatis lumen conversis. Ita in Oriente ubi Judæi frequentes degebant, conversis ex circumcissione et præputio dati sunt episcopi: in Occidente, ubi Judæi vel rari vel eorum nullus, epi-

<sup>62</sup> Vide tom. V nostr. *Biblioth. la France*, tom. I, part. 1, pag. 356. <sup>63</sup> Moyn. ad Var. sacr. pagg. 937, 940. <sup>64</sup> Hist. littér. de <sup>65</sup> Phot. *Bibl.*, cod. 48. <sup>66</sup> Dodw. *Dissert.* 3 Iren. § 31, p. 284. <sup>67</sup> Euseb. *Hist. eccl.*, lib. II, cap. 25. <sup>68</sup> Fabric. *Bibl. Gr.*, tom. V, pag. 267. <sup>69</sup> Bacchin., *De eccl. hierarch. origin.*, part. 1, cap. 3, § 19, pag. 266.